

accedere: (alii etiam trilibrem fieri retulerunt) *caudam* adeo duram habere, ut vix amputari possit: pinnae in dorso aculeatas in capite Percae instar, (icon nostra pinnae molles, non aculeatas, prae se ferre videtur) nostrum acuminatum; carnem candidissimam. Sunt qui forma et colore Cani marino comparent: alii Lucio, praecipue quidem capite: absque *squamis* esse ajunt, instar Anguillae. (Rondeletius Asperum suum a squamarum asperitate vulgo Gallice *Apron* dictum ait.) Lautissimum esse addunt simul et *saluberrimum*, omnium Danubii piscium, ita ut vel puerperis apponatur, et divitum duntaxat mensas oneret: quod equidem miror, si squam-

mas non habet: fere enim omnes, qui *squamis* carent, minus salubres existimantur. *Ferunt* eum Danubius et Tibiscus. In Danubio prope Bosoniam magna ejus copia capitur. Viennae etiam non deest; et in Bavariae fluviiis, ut Isara et Leisaca: hic quidem est lacu Ammelsee fluitat in Rachelfee lacum, et inde rursus in Iseram fluvium. In piscinis servari non potest. Ejusdem piscis effigiem illi, quam dedimus, similem, coloribus tantum diversam (ventre et pinnis albicantibus) Raphaël Seilerus Jurisconsultus doctissimus, comes Palatinus, clarissimi Augustanae reipubl. archiatri Geryoni filius, ad me misit: in qua similiter nulla ab ano pinna, nullae squamae apparent.

CAPUT II.

De Cobitide fluviatili.

ARTICULVS I.

De Cobitide Rondeletii.

TAB. XXVI.
20.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 9.

Triplex invenitur *Cobites*, fluviatilis Rondeletii nempe, *Aculeata*, et *Barbatula*. De illa ita ex Gesnero, et Rondeletio Aldrovandus. Idem Rondeletius fluviatilem hunc pisciculum antiquis, qui de fluviatilibus parum fuere solliciti, in dictum, *Cobiten*, *Cobitidem*, fluviatilem nuncupavit, quod marinae, inquit, persimilis sit; cum alioqui neque situ neque numero pinnarum cum marina conveniat; quare similitudo isthaec ad *Cobitidem* barbatulam potius pertinet: ad haec *Cobitis* marina laevis est, uti et *Barbatula*; contra *squamosus*, quo de loquimur, pisciculus est, nisi figura exhibita nos fallat, quod quidem suspicari licet. Ipse enim Gallis *Loche franche* vocari asserit, vel quod totus laevis sit, et aculeis careat; vel quod mollior sit, et salubrior: quamobrem *Cobiten* forte hunc pisciculum, inquit Gesnerus, vocat, quod ad Gobionem fluviatilem Ausonii accedat,

non ad marinam *Cobitin*. *Degit* in rivulorum et fluviorum ripis, digitali magnitudine, rostro satis prominente. Corpus flavescit, et maculis nigricantibus notatur, subrotundum est et carnosum. *Pinnae* duae sunt ad branchias, duae in ventre, unica ab excrementi meatu, unica in dorso. Gesnerus cum hoc piscitio idem putat, vel saltem simillimum, suis Ryerle nuncupatum; Digiti, inquit, longitudinem parum excedit, colore per dorsum e caeruleo virescente, per latera et ventrem candido. In Silo torrente capitur ad Tigurum circa lapides: et ex eo Limagum amnem ingreditur, inter lautos pisciculos habitus. Rondeletio suus *Cobites* carne est humida, et viscida: si in aqua sordida et coenosa nutriantur, pinguescit, sed multo infalubrior redditur. Pro *Cobite* Rondeletii nos aliam iconem dedimus, ejusdem nifi fallor, piscis.

ARTICULVS II.

De Cobitide aculeata.

TAB. XXVI.
21. 32.

Cobites *aculeata*, quae *Mustela* parva imberbis dici posset, Gallis est *Perce*, quod *Petras* quasi videan-

tur perforare (duos habent in branchiis aculeos, utrinque unum, ad caudam spectantes, dentium cerastris longitu-

Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 30.